



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Disputationes|| ROBERTI BELLAR-||MINI E SOCIETATE  
IESV,|| DE CONTROVERSIIS CHRISTIANAE|| FIDEI,  
ADVERSVS HVIVS TEM-||poris Hæreticos,||**

Tribus Tomis comprehensæ.||

DE CHRISTO CAPITE|| TOTIVS ECCLESIAE,|| QVINQVE LIBRIS|| explicata.||

**Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>**

**Ingolstadii, [1599]**

**VD16 B 1607**

X. Inferos esse loca subterranea distincta à sepulcris.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53845](https://nbn-resolving.de/urn/resolver.pl?urn=urn:nbn:de:hbz:466:1-53845)

## C A P V T X.

*Inferos esse loca subterranea distinctissime pulcris.*

VANTVM ad PRIMVM, ex nomine inferorum, quo utuntur Scripturæ Hebraicæ, Græcæ, Latinæ, cognosci potest, ubi sint inferi. Nomen inferni Latinum, non dubium, quin sit distinctum à nomine sepulcri, & cùm significet aliquid inferius nobis, & infra nos nihil sit nisi centrum terræ, necessariò loca inferorū intelliguntur loca profunda subterranea. Sed de Latine nomine parum curant aduersarij, quia Scripturæ Græcæ & Hebraicæ solùm scriptæ sunt.

Nomen Græcum quod habemus Matt. II. Luc. 16. Ag. 1. & vbiq; Latinè est infernus, est ἀδης, quod nomen THODORVS BEZA in Act. 2. afferit, ordinariè accipi pro sepulcro aliquando tamen apud Poëtas pro loco damnatorū. Sed hec est nimis aperta impudentia. nam, vt omittam, quod Græcè sepulcrum dicitur τάφος, non ἀδης, vnde Epitaphia dicuntur etiam à Latinis carmina, quæ ad sepulcra scribiti solent. Certè Matth. II. cùm dicitur de Capharnaum: Etsi Capharnaum εστιν ad cælum exaltaberis? εστιν ad infernum descendes, non potest accipi pro sepulcro vox ἀδης. Esset enim ridicula antithesis, cùm cælum multis millibus stadiorū distet terra superficie, vbi erat Capharnaum, & sepulcrum non distet nisi paucis vlnis. Vult autem Dominus dicere, illam vlnem tam profundè descensuram, quam altè videbatur exaltata. Luc. 16. vbi dicitur, diues purpuratus in inferno fuisse in tormentis, nō potest vox ἀδης exponi de sepulcro, nisi quis vlt animas esse in sepulcris cum corporibus.

Adde, quod CHRYSOSTOMVS in homiliis de Lazato semper intelligit per infernum, vbi erat diues, gehennam. Præterea LUCIANVS in Dialogo de luctu dicit, ἀδης esse locum sub terra profundum. PLATO in lib. 2. de Republica, dicit, οὐ ἀδείνηλω, δύσπευ, id est, in inferno rationem reddimus operum nostrorum. Certum autem est, non reddi rationem in sepulcro. Deniq; HENRICVS STEPHANVS in suo ma-

gao thesauro in gratiam Bezae (ut videtur) dicit posse accipi  
pro sepulcro vocem ἀδλω, sed nullum inuenire potuit au-  
torem, qui ita locutus fuisset, cum tamen multos citauerit  
pro significatione inferni.

Iam verò nomen Hebræum, quod habetur passim in Te-  
stamento veteri, est ἀρλω, quod verbū contendit Beza ubiq;  
accipi pro sepulcro, sed falsum est; Nam significat voragine,  
& ordinariè accipitur pro loco animarū subterraneo, & vel  
raro, vel nunquam pro sepulcro. Et probo primò ex illo Ge-  
nes. 37. *Descendam lugens ad Filium meum in infernum.* Vbi  
vox est ἀρλω, & non potest accipi pro sepulcro, quia dicit,  
se iturum ad Filium suum, quem putabat mortuum, & deuo-  
ratum à feris, & proinde caruisse sepulcro.

Item Num. 16. *Descenderunt viuentes in infernum operi  
humo.* Quā verba de loco damnatorū intelligit Epiphanius  
in Ancorato, longè à medio, Hieronymus in cap. 4. ad Ephesios,  
& BEDA in cap. 10. Numer. Et certè Epiphanius & Hiero-  
nymus doctissimi erant Hebraicè, & eo loco verbum est  
ἀρλω. ITEM Psal. 138. *Si ascendero in cælum, tu illuc es; si de-  
scendero in infernum, ades.* Vbi opponūtur terræ superficie,  
vbi tunc erat Dauid, duo loca distantissima, altissimum cœ-  
lum, & profundissimus infernus. Sepulcrū autem non abest  
à terræ superficie duobus palmis. Sæpe etiam supra terrā ex-  
stant marmorea sepulcra. ITEM Isaiae 14. dicitur Regi Babylonis,  
& in eius figura dicitur Diabolo (*Dixisti in cælum con-  
scendam, &c.*) *Veruntamen ἐσθι ad infernum detrahēris, in  
profundum lacū.* Vbi quatenus agitur de Diabolo, nō potest  
infernus significare sepulcrum, quia Diabolus non est in se-  
pulcro, ut notum est: quatenus agitur de Rege Babylonis,  
non potest etiam significari sepulcrum; & quia periret anti-  
thesis, & quia ibidem dicitur Rex ille caritus sepulcro.

Huc accedit consensus ferè omnium illorū, qui de hac re  
iudicare poterant. Nam LXXII. seniores ἀρλω, ubiq; verte-  
runt ἀδλω, nusquam τάφο. HIERONYMVS vbique vertit in-  
fernū, nusquam sepulcrum. Chaldæus vertit γέεννα, gehennam. Rabbi DAVID in Psalm. 9. in illud: *Conuertantur*

*impij in infernum*. Et idem Rabbi Dauid, & Rabbi Abenezra  
in illud Psalmi 138. *Si descendero in infernum, aderit*. Et Rabbi Leui in caput 15. Proverb. & 26. libri Iob, exponunt per  
**לִוְנָשׁ** locum animarum subterraneum.

Confirmatur item idem ex ipso Caluino praeceptore  
Bezae; is enim in psychopannychia dicit, **לִוְנָשׁ** iuxtam  
accipi pro sepulcro, sed ut plurimū pro statu damnatorum.

Quid, quod Beza se ipse pulcherrimè refutat scripsit  
nun duos libros, qui in eodem volumine compingi solent,  
vnum contra Sebastianum Castalionem, de sua & illius ver-  
sione Testamenti noui; alterum contra Brentium, de om-  
ni præsentia carnis Christi. in primo libro tractans illum lo-  
cum Act. 2. *Non derelinques animam meam in inferno*, di-  
cit, in meridie cæcutire qui non intelligunt per infernum  
sepulcrum. Et cum ei obiiceretur locus ille Lucæ 16, dedi-  
uite & Lazaro, contendit, ibi etiam per infernum significari  
sepulcrum. Et cum Christus dicit, diuitem illum fuisse in  
tormentis, exponit Beza, Christum figuratè esse locutum,  
quasi constitueret nobis diuitis sepulcrum in mediis flami-  
mis, in quo non tam cadaver, quam viuus homo continen-  
tur, cum tamen revera nihil in eo sepulcro paret corpus  
inanime fuerit, & de alio loco, quam de sepulcro Scriptu-  
ras exponere, dicit, esse orcum, & erebum, cum Poëratum fa-  
bulis fingere.

At in libro contra Brentium assumit iam contrarium pa-  
sonam, & dicit eos in meridie cæcutire, qui ex historia Laza-  
ri & diuitis, Lucæ 16. non deducunt verum locum infer-  
num, ubi damnavi torqueantur. Et ibidem defendit Bulli-  
gerum, qui ex loco Num. 16. probauerat, inferos esse ven-  
loca subterranea, cum tamen ibi sit vox **אֶרְזָשׁ**. Item ibidem  
profert locum Psalm. 138. *Si descendero in infernum, aderit*, ob  
probandum inferos contra Brentium, & tamen ibi etiam e.  
**אֶרְזָשׁ**. Denique non minus acriter pugnat pro infernatis  
corporalibus, localibus, & subterraneis, vt Brentio con-  
dicat, quam alibi pugnat, vt veros & locales inferos deli-  
cat, vel in sepulcra conuertat, vt nobis resistat.

SECUNDΟ, probo esse inferos præter sepulcra, ex omni-  
ne abyssi. Nam Luc. 8. Dæmones rogarabāt Christum, ne mi-  
sceret.

teret eos in abyssum. Certum est, abyssum esse profundam voraginem, & proinde infra terræ superficiem. Item, certum est, non esse sepulcrum; nec enim Dæmonibus parantur sepulcra. Deniq; certū est, abyssum non esse aliquid spirituale, vt vult Brentius, vbiq; diffusum. Non enim Dæmones petuiissent nō mitti in abyssum. Quid ergo restat, nisi vt abyssus sit profundissima vorago subterranea?

**TERTIO**, probo ex Apocal. 5. vbi legimus, non fuisse inventos, qui soluerēt librum, *Nec in caelo, nec in terra, nec sub terram.* Et infra: *Dixerunt laudem Deo omnes creature in caelo, in terra, & sub terram.* Et Philip. 2. *Ut in nomine Iesu omne genu flectatur cælestium, terrestrium, & infernorum.* In quibus locis vox καταχθονίων, nihil aliud significat quam subterraneorum. At certe non sunt cadavera sepulcrorum, quæ non poterant aperire librum, vel quæ Deum laudent, & in nomine Iesu flectunt genua; igitur spiritus sunt, qui dicuntur subterranei, cò quod in locis subterraneis degant.

**QUARTO**, probo ex Patribus. **I R E N A E V S** lib. 5. prope finem, dicit, Christum descendisse ad inferiora terræ, vbi erat animæ. **Tertullianus** in apol. cap. 45. vocat infernum, arcani ingeris subterraneum thesaurum. **Cyrillus** libro de recta fide ad Theodosium, vocat infernum, vbi erant animæ, subterraneam specum. **Arnobius** lib. 2. contra Gentes: *Areditis, inquit, ridere nos, cum gehennas dicimus, & inextinguibiles quosdam ignes, &c.* Et infra, de Platone sic ait: *Non est absone supplicatus, iact eas animas in flumina torrentia flammari globis, & cænoscis voraginibus tetra.* **A M B R O S I V S** in cap. 4 ad Ephesios, dicit, Christum ut mortuis prædicaret in inferno, in cor terræ descendisse. Idem habet Nyssenus orat. 1. de resurrectione Domini. **HIERONYMVS** in cap. 14. Isaiae: *Dicimus, inquit, quod infernus sub terra sit.* **A V G U S T I N V S** lib. 2. retract. cap. 24. *De inferis*, inquit, *magis mihi videor dicere debuisse, quod sub terris sint, quam rationem reddere, cur sub terris esse credantur, siue dicantur, quasi non ita sit.* **Gregor. lib. 4. Dialog. cap. 42.** **Beda** lib. 3. in Iob. cap. 7. **Primasius** in cap. 7. Apocal. & **Damascenus** lib. 3. cap. vlt. *infernum sub terra esse, definiunt.*

Accedat POSTREMO etiam naturalis ratio. siquidem consentaneum est rationi, ut locus dæmonum, & hominum im-

A a 3 piorum

piorum ac reproborum longissimè distet ab eo loco, in quo Angelos ac beatos homines perpetuò futuros non dubitamus. Locus autem beatorum (etiam aduersariorum testimonio) cœlum est: à cœlo verò nihil abest longius, quam terræ centrum.

## C A P V T XI.

*Animas piorum non fuisse in cœlo ante CHRISTI ascensionem.*

VANTVM ad SECUNDVM, quod animæ piorum non fuerint in cœlo ante Christi ascensione probatur PRIMO, quia est ea sententia profusa in audita in Ecclesia Dei. Id quod sanè deberet sufficere ad refutationem. PRÆTEREA Gen. 37. Jacob ait: *Descendam ad Filium meum in infernum.* Pius erat Iacob, plus etiam Ioseph: & tamen utrumque non ascendisse ad cœlum, sed ad inferos descendisse, Scriptura significat. ITEM *Luc. 26.* diues in inferno cum esset, vidi à longè animam Lazarus in sinu Abraham, & audivit, inter loca ipsorum magnum hiatus esse; id enim significat χάσμα; ex quo apparet, nihil solidi fuisse interiectum inter locum damnatorum & sinum Abrahæ, sed utrasq; animas in eadem voragine fuisse, licet mortuæ inter se distantes. ITEM lib. 1. Regum, cap. 28. anima Samuels apparens Sauli de terra ascendere visa est.

Et quamvis non desint qui negent, illam fuisse veram animam Samuelis, tamen opinio contraria, & communior, & probabilior, & tutior est. Id enim docent JOSEPHVS lib. antiq. cap. 15. Iustinus in Dialogo cum Triphone. Basiliscus. p. 80. ad Eustachium. Ambrosius in 1. cap. *Lucæ.* Hieronimus in 7. *Isaiæ.* Augustinus de cura pro mortuis, cap. 15. Encyclopiæ, Litanus, Abulensis, Dionysius Carthusianus, & Cletanus in eum locum. Et deducitur satis aperte ex terribilinæ Scripturæ: *Cum vidisset, inquit, mulier Samuelum filium eius.* Dixit Samuel ad Saul. Item: *Intellexit ergo Saul, quod Samuel esset.* Certe non diceret Scriptura, Intellexit, sed putavit, vel cogitauit, si non esset verum.

Præterea in Eccles. cap. 46. ponitur in laudibus Samuelis